







VAE Latinis Græcia est, Græcis Hellas nominatur; sed huius termini exteriores non ab omnibus iidem describuntur. prima & vera est ea quam Achaïam vocant Ptolemæus, Plinius, & Mela; in qua Athenæ, splendidissimæ omnium, teste Athenæo, quibus illucet Iupiter. libera vrbs, vt Plinius eam vocat, nec indiga vilius præconij ampliùs, tanta claritas superfluit. Constat tamen, non tantùm à vulgo scriptorum, sed ab ipso quoque Strabone Geographorum principe, plures regiones sub Helladis vel Græciæ vocabulo comprehendi, vti sunt Macedonia, Epirus, Peloponnesus, & ceteræ prouinciæ sub his nominibus contentæ: adeò vt vniuersa Græcia tribus alluatur pelagis, Ionio nempe, Ægeò, & Libyco. versus continentem eos montes habet, qui Macedoniam à Thracia, Myssiâ superiore, & Dalmatia dirimunt. Atque hæc est ea Græcia, quæ, vt inquit Manilius, *Maxima terra viris, & fecundissima doctis Urbibus*, &c. quæ (vt Cicero scribit pro Flacco) fama, quæ gloria, quæ doctrina, quæ pluribus artibus, quæ etiam imperio & bellica laude floruit. siue vt Trogus 8. inquit, viribus & dignitate Orbis terrarum princeps. Ex hac terrarum parte, omnis, vt idem Plinius ait, litterarum claritas effulgit.

In hac primam humanitatem, litteras, etiam fruges inuentas, scripsit Plinius Cæcilius ad Maximum suum; & hanc esse, inquit idem, quæ nobis misit iura, quæ leges non victa acceperit, sed petentibus dederit. Macedonia maximam huius Græciæ partem occupat. hæc terrarum imperio potita quondam, Asiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Ægyptum, Taurum, Caucasum, transgressa: hæc in Bactris, Medis, Persis, dominata, toto Oriente possesso: hæc etiam Indiæ victrix, per vestigia Liberi patris atque Herculis vagata. imò, si velis, Orbis. vt Manilius, & *Macedum tellus quæ vicerat Orbem*. Hæc eadem est Macedonia, cuius vno die Paulus Æmilius Imperator LXXII. vrbes direptas vendidit. Postea est Peloponnesus, pænisula, haud vlli terræ nobilitate postferenda, platani folio similis, in quo bimaris Corinthus, arx & porta totius Græciæ: & Lacedæmon, quæ Sparta, republica à Lycurgo instituta, & rebus pace belloque gestis, veneranda. Sed & Græciæ nomen latius se ab vtraque marium parte extendisse, ex classicorum auctorum monumentis apparet; quota pars enim Italiæ ab iis Magna Græcia dicta fuit? Asiæ etiam pars quæ Macedonia obuersa est, ob deductas in eam non paucas à Græcis colonias, huius nomine quoque insignita inuenitur: cuius incolas Græcos Asianos, ad differentiam nominat Plutarch. in Apophtheg. Laconicis. Lucianus enim in opusculo De amoribus scribit, Chelidonias insulas esse veteris Græciæ terminos. Et à Cnido Sinopen vsque Græcos habitare, scribit in Panegyrico Isocrates. Mare item Ægeum, quod Macedoniam & hanc Asiam interluit, Mare Græcum Ελληνικὸν à Thucydide, Plutarcho, Arriano, & Polyæno vocatur, & Græciense à Plinio. Græciam antiquam inter ceteros diligentissimè descripsere Strabo & Pausanias.

De Asiatica Græcia, quam Macedonia obuersam vides, consule Pausaniam, in Achaicis: & Vitruuium 4. cap. 1.